



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Clausula quinta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

dicialibus, ad quarum formam est institutum Sacramentum penitentiae, non dari Delegato prorogationem jurisdictionis, per quem iudicat aliud novum delictum, quod forte committat quis post elapsum tempus Delegationis.

10. Sed adhuc inquires Primo, si confessor, apud quem incepisti prædictam confessionem, moriatur, vel alio modo desit, eligere ne possim alium confessorium, qui mea peccata omnia audiendo, me absolvat ab illis, finito anno bullæ, vel finito Iubilæi tempore.

Respondeo cum Castrop. tom. 1. tr. 3. disp. 4. p. 16. §. 7. n. 13. nihilque posse, si hæc electio novi confessorii fiat ante spiratum tempus privilegii, si postea in casu proposito prorogata propter incompletam confessionem jurisdictionis. Ratio est quia confessores vi Bullæ, vel Iubilæi se habent ut unum: quare quando quis ex uno ad alium migrat, non iudicatur, nisi eundem eligere.

Neque dicas causam pendentem debere c. 1. de off. deleg. ex iure (ut notat Navarrus l. 1. cons. in 2. edit. de eodem off. de leg. prosecui corat eodem iudice, coram quo accepta est: Ne id dicas, inquam, nam id verum est in causis fori externi, non vero in casibus interni fori. Cujus disparitatis ratio illa est, quia facultas data pro foro conscientiae intelligenda est juxta naturam ejusdem fori, At in hoc foro penitens potest mutare confessorium, ut ipsi placet, donec finiatur causa per absolutionem.

11. Inquires Secundo, si post absolutionem hanc dictus penitens recorderet alicujus peccati mortalis reservati commissi ante dictam absolutionem, poteritne virtute Bullæ, vel Iubilæi iterum absolutionem, ritè accipere à dicto confessorio, qui solum habeat potestatem absolvendi vi Bullæ, vel Iubilæi? Respondeo non posse, quare tunc necesse erit illud peccatum oblitum confiteri apud alium legitimum confessorium habentem potestatem ad illud absolvendum, ut ego dixi lib. 5. de penit. cap. 4. §. 10. num. 4. Ratio est quia delegatus cum functus est officio suo nihil amplius potest, at prædictus confessorius electus jam dandam absolutionem adimplevit suum officium; ergo &c.

Legem tamen Dicastillum apud Dianam, p. 11. tract. 8. ref. 28. qui putat, esse probabile, quod possit, si quidem tunc (ait) sequens confessio pertinet ad priorem, & est prioris complementum. Verum ne id extendas ad peccata commissæ post absolutionem illam priorem; hæc enim nec separatim, nec conjuncta cum oblitis absolvere dictus confessorius amplius ex vi privilegii Bullæ, vel Iubilæi poterit, quia nulla ratione pertinet ad absolutionem datam vel dandam ex vi Bullæ, vel Iubilæi.

CLAUSULÆ V.

Vi possint in Ecclesiis (locutio est de iis, qui bullam sumunt) in quibus alia divina officia (interdicto durante) quomodolibet celebrare permixtum fuerit, vel in privato Oratorio ad divinum cultum tantum deputato ab ordinario visitando, & designando etiam tempore interdicti. Eius cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit, quominus amoveatur, & qui facultatem ad id à commissario Generali habuerit, etiam per horam, antequam illucescat dies & per horam post meridiam, in sua, ac familiarum, & consanguineorum suorum presentia Missas, & alia divina officia per se ipsos si presbiteri fuerint, vel per alium celebrare facere, & tempore interdicti divinis interesse. Eis tamen qui privato Oratorio ad præmissa uti voluerint, et quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro unione Principum Christianorum contra infideles, eorumque contra eisdem victoriâ fundere, teneantur; imponitur.

CAPVT V.

Primum Bullæ Privilegium quod est circa tempus interdicti.

Bullæ privilegium, interdicti tempore tres comprehenditur favores, quorum primum relatum in præcedente quinta clausura hic explicamus, mox in sequentibus alios duos explicaturi.

§. I. Præmittitur Summaria explicatio interdicti.

1. **I**nterdictum Ecclesiasticum absolute, & sine limitatione latum, est regulariter censura, qua fidelibus tria vetantur. Primo officia divina præsertim Missæ celebrari. Secundo Sacramenta aliqua ministrare, vel recipere; nam non prohibetur Baptismus, Confirmatio, Penitentia, & Matrimonium; sed ministrare vel recipere Eucharistiam, Extremam-unctionem, Ordinem, hæc enim in ordinationibus, quas passim afferunt Doctores mandandi, alique in tractatu de interdicto. Tertio, desinat veratur Ecclesiastica sepultura.

2. **I**nterdictorum autem variae sunt classes. Personale, id est illud, quo ipsa persona prædictis tribus prohibitionibus, afficitur.

3. **L**ocale, id est illud, quo locus aliquis iisdem affectionibus prædictis prohibitionibus, hoc est, quo in tali loco vetantur fideles, illas tres actiones exercere.

4. **M**istum, id est, quo tum persona, tum locus prohibetur.

5. Porro subdividuntur deinde eadem interdicta, nam quo ad interdictum personale, aliud est personale generale, estque quando interdictum totus populus, tota communitas, seu universitas, Collegium, Capitulum &c. quatenus hæc faciunt unum corpus morale. Aliud est personale speciale, hoc est, quando interdictum ibi, vel ille.

6. **R**ursus interdictum locale, aliud est locale generale, atque est illud, quo interdictum locus, qui à communitate incolitur, v. g. Provincia, civitas, oppidum, villa, aliud est locale particulare, estque illud, quo interdictum locus particularis, vel loca aliqua particularia, v. g. hæc Ecclesia hujus civitatis, illa Ecclesia illius oppidi &c.

Hæc cum suis explanationibus, & limitationibus præsertim iis, quas concedit Cap. alma mater de fest. et comm. in 6. habes passim apud Suar. Hurt. Bonac. Lycop. Coninch. Avil. aliosque innumeros Doctores scriptores de interdicto.

7. **I**llud pro re nostra est advertendum, Bullæ Cruciatæ privilegia solum esse, stante interdicto locali generali, quamvis auctoritate Apostolica imposito: quare non personaliter quoquo modo interdictis, nec loco specialiter interdicto Bulla Cruciatæ privilegia ulla conceduntur. An autem persona particulariter interdicta possit quomodolibet interdicti absolutionem obtinere virtute Bullæ, infra c. 11. §. 6. suo loco dicetur.

§. II. Favor primus Bullæ tempore interdicti, poste Missiones, & divina Officia celebrare &c.

1. **H**is prælatis, ut explicetur primus hic Bullæ favor, pro tempore interdicti. Nota primo illud non concedi iis, qui dederunt causam interdicti, nisi per ipsos fiat interdicti remotio.

2. **N**ota secundo, illa verba (in Oratorio privato) non Doctores ex modo loquendi Bullæ, & ex intentione Pontificis extendunt ad omnes alias Ecclesias, dummodo fiat privatim officium, & solum coram suis, ut non explicabitur. Vide id late probatum à Ludovico à Capucco, in Bull. d. 1. cap. 5. dub. 2.